

Te Toletano pietas præfecit ovili :
 Divisas sedes præsul amansque vides.
 Nil uno melius fuit, aut te sanctius uno :
 Et demerato rege dolens moreris.
 Te socium lætis Leocadia suscipit ulnis,
 Corpus humo, mentem læta sub alta locans.
 Gaude sorte tua, præsul venerande Quirice ;
 Sic Dominus terris es, Dominusque polo.

III.

In sepulcro Gudilæ archidiaconi Toletani.

Gloria Toleti jacet hac sub mole sepultus
 Gudila, pars animi dimidiumque mei.
 Qui senis a tenera mores ætate tenebat,
 Et a juvenis fecit hic juvenile nihil.
 Spiritus in sacro residebat pectore Christi,
 Exprimat hunc totum, moribus, ore, manu.
 Pauperibus cibus est, viduis solamen, ut ægris
 Grata salus : miseris omnibus unus erat.
 Mercaris meritis multis, bone Gudila, cælum :
 Nos desiderium lancinat usque tui.
 Mœrentesque vocamus eum, quem sustulit æther :
 Prosequimurque piis funera lacrymulis.
 Non violas, tenerasque rosas, non lilia cana
 Spargimus ad tumulum, sed bona vota, tuum.
 Nos ergo e supera prospecta candidus arce ;

a Id. ad diem octavam Martii hunc pentametrum
 sic legit :
 Cui, nisi simplicitas, nil juvenile fuit.

A Teque amor, et moveat, Gudila, cura mei.
 Mœnibus a patriis morbos averte, famemque,
 Hostilesque minas, dogmata falsa, dolos.
 Toleti ne temne preces, comitisque rogatus,
 Qui tibi dat carmen sat Julianus amans :
 Ossaque Felicis tua sacra condit in æde,
 Cujus mens superis est sociata choris.

IV

In sepulcro regis Wambæ.

Wamba prius, qui Petrus eras, missæque minister,
 Rex Gothicæ gentis religione micæ.
 Sponte tua non affectas regale cacumen,
 Sed subis imperii grande coactus onus.
 Spes tua, conatusque tuus, virtute potentis
 Fretus, inauditas res operatus ades.
 Nulla perinde tali res gratior usque quiete est :
 Cænobium gaudens post sacra sceptrâ petis.
 Septem ibi perpetuos monachus bene præteris
 [annos,
 b Inde oblata cœlos morte beatus adis.
 Felix Wamba tua censeris sorte fuisse :
 Tam bene qui calcat sceptrâ, per astra volet.
 Septem sceptrâ tuæ gentis moderaris in annos,
 Quæ sinis haud morbi mole, sed ipse libens.

b Id. ibid.
 Oblata inde polos morte beatus adis.

APPENDIX SECUNDA.

ITALII BARCINONENSIS EPISTOLÆ DUÆ.

(Ex Dacherto, Spicilegium.)

EPISTOLA PRIMA.

Sanctissimo et mihi præ cæteris peculiari domino
 Juliano Toletanæ primæ sedis episcopo a Idalius
 Barcinonensis sedis episcopus.

Recordatione meorum peccaminum pavidus, et
 memoria ingentium criminum usquequaque perter-
 ritus, putaveram divinas aures in meis penitus obdu-
 ratas fuisse clamoribus, cum promissionis vestræ
 minime perciperem opus. Et licet hujusmodi causa
 nunc diversis perturbationibus agitatus, nunc etiam
 optatæ opportunitatis eventu privatus, aut, ut asso-
 let, oblivione detentus, suggestionibus meis vale-
 factionem alternans b sanctitati vestræ intulerim
 minime preces, fretus tamen Salvatoris et Redem-
 ptoris nostri oraculo, quo discipulos, securavit di-
 cendo : *Si duo ex vobis consenserint super terram,
 de omni re quamcunque petierunt, fiet illis a Patre
 meo qui in cælis est ;* vestræ quoque promissionis
 fiducia uberrime fretus, fixum corde tenebam, quod
 neque veritas mentiri ullatenus posset, neque verita-
 tis cultor atque discipulus mendaciis deserviret.
 Expectabam ergo sanctitudinis vestræ promissum,
 spem magnam repositam habens in Domino Jesu
 Christo : orabam tamen, et si non quotidie, certe

a *Sedis episcopo.* Antea legebatur apostolo. Hæc
 epistola et sequens editæ jam erant a Joanne Co-
 chlaro in calce librorum Juliani Toletani, Lipsiæ
 anno 1536, ut quidem monet Baluzius ; nam illam
 editionem nobis videre non contigit ; nec de ea re-
 perienda multum curavimus, quod nullo nobis adju-
 mento esse poterat postquam sine ea nihil erat in
 his epistolis quod negotium facessere posset.

b *Alternans.* Cum plurima essent in priori editione
 vitia, quæ apographi ope sustulimus, levissima
 quæque prætermittere libuit ne lectorem fatigaret ;
 sed omittendum non erat hic antea lectum fuisse

C vel sæpe, ut idem qui, ubique præsens c est cordi
 vestro inspirator adesset, et votis nostris effectum
 tandem præstaret.

Nunc ergo quia Dominus memor fuit mei, et vo-
 torum meorum me compotem fecit, gaudio os meum
 et linguam exultatione replevit, cum et vos perfe-
 ctione sancti operis cumulavit, et me laboris vestri
 effectu ditavit. Dicam ergo illi cum exultatione
 mentis prophetæ sui verbis : *Benedictus Deus, bene-
 dictus Dominus de die in diem.* Adveniens namque
 quidam Judæus, nomine Restitutus, quasi brutum, ut
 ita dixerim, animal, materiam lumini congruentem
 deportans, librum, quem studiosa brevitate non solum
 ex antiquorum sanctorum Patrum sententiis, verum
 etiam inspirante et docente Christo, labore ac stu-
 dio proprio consummare, et nostræ ineptiæ sancti-
 tudinis vestræ prudentia mittere procuravit, gemel-
 lis manibus obtulit, quem aviditate noscendi rapiens,
 potius quam accipiens, citissime pandi, titulumque
 contra suspiciens d miratum esse me fateor, cur
 tantu et tam præclaro mercimonii causam tam infido
 et a cultu fidei alieno vestra sanctitas crediderit
 bajulo. Sed illico illa ratione imbutus, qua thesau-
 rum fictilibus vasis committitur, præfato Judæo cur
 alternam ; et mox ubi legis securavit, eam lectionem
 nos eruisse ex apographo in quo erat *sacra*, quod
 ut ferri non poterat, ita propius ad veram lectionem
 accedebat, quam quod Acherius ediderat *sacre au-*
tem.

c *Ubique præsens est.* In priori editione *ubique*
præsentis. Infra in veteri apographo hæc voces *nomine*
Restitutus, desunt.

d *Contra suspiciens.* Acherius *contra suspiciens*
mirasse me, sed hoc leve, sicut quod edidit *qui the-*
saurum. . . committit : illud non leve quod scripsit
a cultu Dei, ubi nunc est *a cultu fidei.*

ea quæ acceperat illæsa detulerit prius, potius quam vobis gratias egi, considerans ne forsan immutatione dexteræ Altissimi ageretur, ut is, qui caduca mercimonia vectare solitus erat, divinis æternisque mysteriis pararetur.

Intellexi tamen in hac parte sancti et artificiosi cordis vestri humilitatem, quæ omne quod in dictis vestris venustum, nitens, et purum existit, cum gratiarum actione referendo ad Deum, cuius vobis munere venit ingens et optimum, reddit. Vanam vero gloriam respuendo eo idipsum abjectum videntium obtutibus ostendere nititur, quo viliori gerulo hoc idem credidisse cernitur.

Inspecto igitur præscripti Codicis, discussoque vocabulo; nullum penitus aliud reperire valui nomen eidem operi congruentius, nisi quod ipse in principio sui voluminis gestare videtur. Appellatur enim Prognosticon futuri sæculi, quod Latine præscientia futuri sæculi dici non incongrue potest. In quo quidem quamlibet primus liber quadam ex parte peccantibus asperitatem metumque incutere videatur, duo tamen subsequentes libri maxima fiducia Christicolarum relevant corda, ob spem futuræ resurrectionis et regni, quod se fidelibus Christus daturum promisit. Reliquum vero totius codicis corpus legendo transcurrrens, reperi illud quod Dominus Jesus Christus in Evangeliiis loquitur: *Omnis scriba doctus in regno celorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera (Matth. XIII, 52)*. Evidenter enim et dubia effugata, et obscura in lucem producta sunt, cum et antiquorum Patrum decreta, novæ brevitatis, indicia artificii vestri, fructuoso labore ad medium sunt deducta. Mauat ergo ex illorum sententia veritas, ex vestro autem labore nova et brevissima veritas. Quidquid itaque veraciter illi, caste et sobrie in Dei causis senserunt, est tibi commune cum illis, ad cuius notitiam doctrina Domini hoc ipsum deduxit. Vestræ tamen sollicitudini tantumdem applaudit, quod curiositate instante, illorum sententias in unum collectas pigris et torpentibus contiguo relatu manifeste aperuit. Propter quod licet illi ministraverint, donante Christo, materiam, vestro tamen operi totius laboris astipulabitur summa. Nam et aurum quamlibet originis ac naturæ suæ obtineat splendorem, cum per formas aut etiam a figurarum varietates perite deducitur, decenterque politur, artificis ingenium non immerito prædicatur. Hujus rei exemplo permotus, ingenii efficaciam quam divina cordi vestro contulit gratia, insigneque studium, quo vos in causis Christi desudasse cognosco; attollere laudibus procurarem, aut quia ego nequeo, alios prædicare precarer, nisi quia idipsum vobis displicere soleat conscius essem.

Restat ergo, ut hoc faciam, quod vestræ sanctitatis desiderat anima. Refert itaque mea pusillitas; imo mecum Ecclesiæ universitas, ad cuius notitiam insignia operis vestri deduxit nostra tenuitas, im-

^a *Per formas aut etiam.* Ut intelligatur quid hic præstiterit apographum sæpius laudatum, repræsentanda est prior editio. Ea igitur sic habet: *per formas ustem. . . dantisque politur artificis ingenio, non imm. prædicator hujus rei.*

^b *Non solum ingenti.* In editis nondum ingenti.

mense et ineffabili Trinitati, non quantas debet, sed quantas valet gratiarum copias, quia in fine temporum, aut pene, ut verius dixerim, in consummatione mundi, effudit in corde beatitudinis vestræ donum gratiæ suæ simul et studium operis sancti; deditque in ore vestro directum et bene sonantem sermonem, quo et delinquentium corda terrendo sanaret, et bonis operibus deditos, in sanctis actibus confirmandos, igne cœlesti affatim animaret.

Oramus deinde majestatis supernæ profusissimam pietatem, ut in præsulatu Ecclesiæ suæ ad illuminationem fidelium, annos vitæ vestræ protelando conservet, et ita donum gratiarum suarum, quod cordi vestro diffudit, exuberare concedat, ut catholicam plebem studiosis operibus, doctrinisque sanctimoniarum vestræ, honorum omnium compotem reddat. Proque laboris vestri sancta instantia post longissima vitæ hujus spatia, remissis iniquitatibus, tectisque peccatis, cum sanctis et electis suis cœlestia vobis ad possidendum regna concedat.

EPISTOLA II.

Sanctissimo, et mihi præ cæteris peculiari domno Zuntredo Narbonensis primæ sedis episcopo Idalius, Barcinonensis sedis episcopus.

Opus egregium, quod non solum ^b ingenti labore, verum etiam immenso studio, ex antiquorum catholicorumque Patrum libris, mirabili et nova brevitate, beatissimus socius vester dominus meus Julianus Toletanæ primæ sedis episcopus, uno volumine colligere, atque *Prognosticon futuri sæculi* appellare, et nostræ tenuitati mittere procuravit, nobis que in instantia importunitate laudabili vestra beatitas ardentissime demandavit, sanctitudini vestræ cum devotus essem in hac civitatula (cui indignus præsideo) manibus gemellis offerre per præsentem conservulum meum, illic in sanctæ sublimitatis vestræ sede præsentandum direxi; ut ex hujus agnitione, gaudii vestri participes totius provinciæ vestræ præsules facti, conspiciere jubeant quam ingenti muneris lumine præscriptum socium vestrum ad illuminationem Ecclesiæ divinitas summa ditavit; et benedicant in commune Dominum Deum cœli, ex cuius largitate idem ipse socius vester hoc ipsum donum percipere meruit. Deinde Trinitati divinæ postulationum suarum libamina fundant, quo et auctorem hujus operis pro tanto labore divinitatis gratia protegat, et nostræ parvitatibus peccamina divina indulgentia debeat, pro eo quod curavit nostra ignavia ad eorum deducere notitiam, unde spiritali fructu cor illorum exuberans fiat. Te quoque precor, vernacule domne, ut pro meis abluendis criminibus, assiduus divinitatis potentiam adire jubeas precibus, ut ego, qui diversis premor miseriis, revelari [relevati] merear orationis vestræ remediis. Ita gratiam Domini nostri Jesu Christi sine fine vos possidere congraudatis.

^D *Infra in instantia* adjectum ex laudato apographo, et *jubeant quam scripsimus, ubi legebatur jubeant cum.* Ex eodem est *libamina fundant*, quo loco Acheirus fundat, et parvitatibus ubi antea pravitatibus. *Infra, Vernacule Domne non placet, etsi in apographo nostro legitur, ac malo, venerande.*